DISSERT

INA

PNEU

ANNUE

EX AUCTORITAT

D. GEORG

ACADEMIÆ E

AMPLISSIMI SENAT

...LISSIMÆ FACU

Pro G

SUMMISQUE IN MED

RITE ET LI

ERUDI

GULIELMU

COLLEG.

ET NUNC LEGIONI

KALENDIS AUG

EX

(13.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS JACOBUS SHIELL,

Hibernus,

COLLEG. REG. CHIRURG. LOND. SOCIUS,

ET NUNC LEGIONIS XIX. PEDITUM CHIRURGUS SECUNDUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE [illegible]

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

[redacted]

Mr. J. Woodforde with the compliments and best wishes of the Author

VIRO SPECTATISSIMO ET AMICO OPTIMO,

GEORGIO RENNY, M. D.

COLLEGII REGII CHIRURGORUM IN HIBERNIA

SOCIO,

NECNON REI MEDICÆ EXERCITUS BRITANNICI,

ET NOSOCOMIIS EJUS OMNIBUS IN EADEM REGIONE

PRÆPOSITO;

DISSERTATIONEM SEQUENTEM,

IN TESTIMONIUM ANIMI OB PERMULTA ET

MAXIMA EJUS BENEFICIA GRATI,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

Gulielmo Jacobo Sheil Auctore.

Omnes fere Medici qui de hoc morbo scripserunt, in duas diviserunt species; Peripneumoniam nempe et Pleuritidem. Duæ species multis quidem signis differunt, sed quoniam ambæ haud raro eundem simul mortalem afficiunt, et curantur eadem ratione, non videtur necessarium de utraque separatim disserere, præsertim in hujusmodi disputatione, in qua neque abesse quicquam debet, neque redundare.

DEFINITIO.

Pneumonia a Culleno definitur: "Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, respiratio difficilis, tussis." Signa quæ in hac brevi definitione memorantur, utrisque formis communia sunt, neque per se morbi naturam satis explicant. Ne autem absit quicquam cognitu utile, luculentissime aperit Cullenus, quibus signis utraque forma cognoscatur.

Peripneumonia seu Pulmonitis ab eo definitur: "Pneumonia pulsu non semper duro, aliquando molli; dolore thoracis obtuso; respiratione semper difficili, sæpe non, nisi trunco corporis erecto, exercenda; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumque humida, sæpe cruenta." Ab eodem definitur Pleuritis: "Pneumonia pulsu duro; dolore plerumque lateris pungente, sub inspiratione præsertim aucto; decubitu in latus molesto, tussi dolentissima, initio sicca, postea humida, sæpe cruenta."

Hæ definitiones, quippe cum signa utrique formæ propria complectantur, utilissimæ sunt; ideoque dignæ quæ memoria teneantur.

SIGNA.

Pneumonia incipiente, horror vicissimque calor, corpus percurrunt. Urgent simul alia mala quæ febris incipiens affert. Pulsus cordis sunt plerumque celeres, validi et duri. Nonnunquam, brevi post morbi accessionem, adeo concitantur arteriæ, ut sexagesima horæ parte, centies et quinquagies micant, et præ nimio sanguinis impetu in cerebro, æger gravissimo dolore afficitur, etiamque delirio. Alias autem morbus non tanta vi mortales adoritur; atque non solum initio sed etiam progressu, pulsu arteriarum minus duro, imo aliquando molli insignitur.

Eodem fere tempore æger, spirandi difficultate urgeri incipit, itemque vexari dolore et tussi. Dolor in aliqua thoracis parte, modo sub osse pectoris sentitur, modo inter scapulas. Alias in una tantum parte inhærit, eaque perexigua; alias latius sese diffundit. Quibusdam ægris, in eadem parte manet; in aliis, subinde pertendit ad humerum, aut os pectoris, aut claviculam; sæpissime autem in alterutro latere est, media prope parte costæ sextæ vel septimæ. Dolor, si ex pul-

monis inflammatione oriatur, obtusior est; atque in dolente parte æger persentit, uti putat, onus et angustiam: sin plane ex imflammatione nascatur, acutus est admodum, atque quoties æger spiritum in pulmone haurit, sicque distendit inflammatam membranam, plurimum intenditur. Dolor contra obtusior quem movet pulmonis inflammatio, tum maxime augetur, ubi spiritus redditur. Utrique dolores, ubi mediæ parti sextæ septimæve costæ subhærent, graviores sunt quam ubi aliis partibus. Spirandi difficultas in aliis ægris major, in aliis minor est, prout pulmo aut pleura inflammatione afficitur. Neque enimvero æqualis est, in omni corporis situ. Augetur, ubi æger in sanum latus decumbit. In quibusdam autem, seu situ seu vi inflammationis adeo magna est, ut neutri lateri incumbere possint; et ne suffocatione pereant, coguntur perpetuo lecto residere, trunco corporis paululum proclinato. Hoc morbo ægri semper tussi vexantur: ubi pleuræ insidet inflammatio, tussis initio plerumque sicca est; ubi pulmoni, humida. Procedente vero pleuræ inflammatione, humida fere fit, et serius ocius cum in pleuritide, tum in pulmonitide, emolitur humorem, in quo exiguæ sanguinis striæ inter-

mistæ observantur. Aliquando ægrum urget tussis sicca, quæ nihil prorsus emollitur, dum adhibita efficacissima medicamenta et remedia fuerint. Increscente pulmonis inflammatione, oculi turgescunt; plus solito prominent; simulque sanguine suffusi, rubescunt præter solitum. Eodem tempore, livescunt labia, atque cum lingua, tum fauces internæ, aspera et subfusca videntur. In utrisque Pneumoniæ formis, alvus varia est, sed plerumque tarda et astricta. Initio, urina parca, tenuis et perlucida, postea subrubra redditur, atque frigescens deponit lateritium sedimentum; præsertim si inflammatio in eo sit, ut discutiatur, et in salutem desinat.

Sin inflammatio, sive pulmonis sive pleuræ, paucis diebus non vel sponte vel medicina digeritur, omnia in pejus abeunt. Perpetua vigilia æger premitur, vires fatiscunt, urget impatibilis angor. Frigidi sudores in fronte temporibusque oriuntur. Intumescunt membrorum extrema. Devincit membra sopor. Mente non constat æger. Subsultus supervenit nervorum, demumque mors miseriarum quietem affert.

Nequaquam autem semper in mortem abit hic morbus. Secundo interdum die, nonnunquam

serius, mucum copiosum albidum satisque spissum, sine magno molimine, expectorat æger; et uno alterove post die, humorem spumosum, exiguis striis sanguinis intermixtum, et hoc modo morbo liberatur.

CAUSÆ.

Hactenus diximus quibus notis Pneumonia cognoscatur; nunc explicabimus unde in eam proclives mortales redduntur; quibus causis excitatur; et quæ eam sustineat, seu communis stipes sit, unde enascantur omnia mala quæ ægros urgent.

Prædisponentes Causæ, seu quibus ad morbum proni mortales redduntur, sunt omnia quæ corpus implent, supra quem modum postulet prospera valetudo; quæ fibras musculosas cordis et arteriarum justo aptiores faciunt, ut levibus stimulis admotis sese contrahant vel, medicorum lingua, plenitudinem inducunt.

Corpora mortalium supra modum implent, nimius carnis, vini, cerevisiæque usus; ignavia; artes sedentariæ; animus curis vacuus, qui nec studio literarum accenditur, nec spe ardet; neque honoris cupidine, fama aut invidia vexatur; parca cutis

exhalatio, alvus tarda, somnus nimius, frequentes nec requisitæ sanguinis detractiones; et si quæ similia.

Excitantes Causæ, seu quæ in opportunis corporibus morbum de quo tractamus, excitant; aut faciunt, ut pulmones sanguine nimis impleantur; aut impediunt, ne sanguis quamvis modicus per eos expedite transmittatur.

Primi generis est frigus cum humore, præsertim corpori supra modum calenti admotum; hac enim causa exhalatio cutis reprimitur; atque sanguis a corporis superficie aversus, in aliquam partem internam, nimia copia repellitur.

Sanguis vero sic a summa cute repulsus, non eundum in omnibus hominibus locum petit, neque eosdem in omnibus morbos concitat, sed alios aliis morbis afficit, pro ætate, sexu, vel corporis totius ejusve partium proprietatibus. In provectis autem ætate et sanguine plenis, nullus hac causa morbus sæpius oritur, quam pulmonum pleuræve inflammatio.

Pulmones autem fortasse non solum detrimentum capiunt a plenitudine sanguinis in eos a superficie corporis frigore repulsi, sed etiam a materia nociva in eos cum sanguine delata; quam com-

moda valetudine, arteriarum ramuli qui patent in summum cutem, a sanguine separare solent, et corpore exhalare. Exhalatione vero frigore suppressa, hæc materia cum sanguine commixta, in pulmones defertur, et forsitan cum plenitudine ad eorum inflammationem excitandam conducit.

Observatu dignum est, frigus cuti admotum, multo plus ad Pneumoniam concitandam valere, ubi simul aër frigidus in pulmones spiritu adducitur; non solum enim exhalationem ex arteriarum ramulis, qui in vesiculas fistulasque pulmonum patent minuendo, sed et arterias ipsas debilitando, adeo ut sanguinem tanta copia propellere nequeant, quanta in ipsas impellitur; atque sic duplice modo ad pulmonum plenitudinem augendam confert. Magna vis caloris subito admota; animi concitationes; meri intemperantia; ingluvies; violens exercitatio, et omnia qualiacunque molimina, eadem ratione morbum aliquando excitant.

Secundum genus causarum Pneumoniam concitantium, omnia comprehendit quibus obstatur, ne per pulmones sanguis libere transeat. Hujusmodi sunt vociferatio, concentio, conclamatio strenua et frequens, vehementes musicorum organorum inflationes, tussis vehemens, crebra, et

longa; ventriculus cibo potuve gravatus, septique transversi descensum sic impediens; prævalidi nisus, ad quas faciendas opus est ut magna vis aëris in pulmones hauriatur, et hausta contineatur justo diutius.

Causarum quas memoravimus complures, velut ingurgitatio, tussis vehemens, concitati animi motus, molimina seu nisus prævalidi, organorum musicorum inflationes, vociferatio, cantus, conclamatio, non solum cor et arterias incitando, sanguinem justo velocius et copiosius in pulmones impellunt; sed etiam pulmones impediendo, ne spiritum copia aut temporibus æqualiter accipiant et reddant; aut septum transversum inter spiritum hauriendum, ne facile et satis descendat,—obstant quo minus per has sanguis transmittatur.

Proxima Causa est pleuræ vel pulmonum inflammatio.

DIAGNOSIS.

Pneumonia dignoscitur a Gastritide, posterioris ardore et dolore auctis dum premitur, in ventriculum ingestis quibuslibet, his protinus re-

jectis, et pyrexia typhoidea. Distinguitur ab Hepatitide, decubitu, in posteriori, in latus sanum difficili, dolore dum premitur aucto, singultu et partis situ, tusse primum nec urgente.

Dignoscitur a Catarrho gravi, dolore in hoc inspiratione plena minime aucto, et signis pyrexiæ levioribus. Distinguitur a Rheumatismo musculorum intercostalium, dolore in hoc aucto, quum truncus corporis sinistrorsum et dextrorsum inclinatur: a typho incipiente, pulsu viribusque imminutis, et depressione fibrili, in febre idiopathica semper notabili.

RATIO SIGNORUM.

Proximum est ut paucis exponamus mala quibus premuntur mortales, quorum pleura aut pulmones inflammatione urgentur.

Febris Ardens.—Omnia signa fere inflammationis in partibus maxime vitalibus communia sunt. Oriuntur, ut videtur, ex irritatione quam per nervos, cor, et arterias ad totum corpus vis inflammationis communicat; neque enim desinunt aut remittunt, priusquam in sanitatem abiit inflammatio. Si vero pars inflammata abscedat, neque pure

ex abcessu effuso sanescat, febris abit in hecticam, et lenta tabe ægrum consumit.

Spirandi Difficultas.—Ubi pulmones inflammatione urgentur, æger laboriose spirat, eo quod arteriis venisque pulmonum nimio sanguine distentis; vasa quæ spiritum hauriunt adeo comprimuntur, ut singulis vicibus necessariam animæ molem accipere nequeant.

Dolor quoties inflammatione capta pleura, pungens et admodum acutus est: quia præ densitate hæc membrana non permittit, ut vasa inflammata et sanguine oppleta facile turgescant: quo fit, ut nervi cum contento sanguine tum resistente membrana graviter compressi, vehementissime doleant. Dolor tum maxime exasperatur, ubi æger in pulmones trahit spiritum, et sic pleuram et pulmonum et costarum distendit.

Ubi vero inflammatione laborant pulmones, dolor obtusus est; quia his inest spongiosa mollitudo, vasis inflammatis facilius cedens, neque committens, ut horum nervi multum comprimantur.

Tussis.—Tali solertia humanum corpus finxit Rerum Opifex, arteque tam divina fabricatus est,

ut omnes partes ad totius miro consensu incolumitatem conducant.

Hunc partium ad corporis totius sanitatem conservandam restaurandamque consensum, quot modis pulmones ostendunt et testantur? Quod autem maxime ad rem attinet; quotiescunque obstatur, quo minus per pulmones transeat sanguis, aut horum fistulas vesiculasque ad spiritum hauriendum aptas mucus opplet, musculi laryngis sicut auxiliantes, navant operam pulmonibus: at per se, ad levandum impotentibus, musculi intercostales et septi transversi, vehementiores motus incipiunt neque intermittunt; donec mucus ejiciatur, pulmonumque vasa expeditius transmittant sanguinem.

Facies Purpurea.—Hujus est causa coccineus color sanguinis; oritur a sanguine impedito quo minus a capite ad cor redeat.

Striæ Sanguinis,—plerumque secretæ sunt a systemate capillari; si ex arteriis ruptis, denunciant magnam vim imflammationis, et in magno periculo versari ægrum.

Decubitus in Latus molestus.—Ubi pulmones occupat inflammatio, persæpe; ubi pleuram, fere semper, misero ægr omolestus est; ubi utrosque

simul pulmones urget inflammatio, æger in neutrum latus, sine molestia decumbere potest; quia pulmo lateris in quod decumbit, partim altero pulmone mediastinum degravante, partim contiguis costis corporis incumbentis pondere impeditis, ne musculi inter eas contracti vicissimque relaxati expedite moveantur, parum ad animam respirandam, et reddendam idoneus est. Hinc angor, hinc præcordiorum gravitas, hinc tussis, hinc major vis doloris, aliaque mala, quæ corpore erecto paululumque simul proclinato, aliquantum levantur.

Quod si in pleuris inflammatio sit, pulmonis plerumque pleuron contiguo costarum pleuro adhærit. Quo fit, ut si ab uno tantum thoracis latere hæc membrana afficiatur, æger nec in morbidum latus decumbere possit, ne pondus contigui pulmonis partem inflammatam gravet et comprimat; nec in sanum, ne morbidus pulmonum suo pondere nervos et vasa nova detrahat, quæ per cohærentes pleuronum partes utrinque perreptant: sin ab utrisque simul, in neutrum latus possit decumbere; quia in utrumcunque decumbit, ejus pleuron inflammatum contigue pulmonum pondere oneratur, dum simul alter suo pondere dis-

trahit intenditque vasa recens internata, quibus pleuron contiguæ costarum connectitur.

FINIS MORBI.

Hic loci haud alienum erit animadvertere, quomodo desinit Pneumonia. Hæc enim inflammatio, haud secus atque aliæ, in aliis exemplis aliter finitur. Modo seu naturæ benignitate, seu tempestivo medicinæ auxilio evanescit, partis fabrica et functione integris relictis. Hæc a medicis vocatur, Discussio, Digestio, seu Resolutio.

Resolutio,—secundum Bichat, fit reductione sensilitatis organicæ vasorum capillarium ad statum naturalem. Hæc finis maxime omnium optanda, modo tempestive subveniat medicina: plerumque prima hebdomada accidit; rarius secunda. Exonerationes ad hunc effectum spectantes sunt, sputum liberum, copiosum, subflavum, satis spissum, cui intermistæ minimæ sanguinis striæ; copiosus urinæ coloratæ sedimentumque deponentis fluxus; sanguinis e naribus profusio; sudor ubique summæ cutis sponte ortus, alvique profluvium. Quoties enim unum plurave ex his accidunt, dummodo simul febris, spiritus difficultas, et tus-

sis remittant, digestam iri inflammationem medici sperent.

Suppuratio.—Pulmonum aut pleuri inflammatio, quando intra dies septem, aut quatuordecim non resolvitur, nec per sputationem expurgatur, in suppurationem ut observarunt medici, abit. Suppurare autem partem inflammatam indicatur, si dolore qui prius torquebat cessante, febris non desinat, quin nulla manifesta causa inordinate exacerbetur; interdiu mitior, vespere gravior, rigoribusque interdum genarum, deinde rubore comitata; demum loco quo antea dolor erat, persentiatur pondus. Præterea suppurationis signum est, ubi sputum parcum, usque ab initio magna tussi exscreatum, primo salsum dein dulcius videtur; ubi spiritus fœtet, spirandique difficultas manet; sudores multi et tenues circa pectus, aut collum et cervicem, erumpunt; tussis sine libera expuitione vexat; oculi cavi fiunt, ungues adunci; rubent subinde malæ, calent supra modum summi digiti; urgent stomachi invaletudo et defectus; alvus modo consistit, modo fluit; et summa ubique cute pustulæ oriuntur. Latus porro quod abscessit, et cui insidet pondus, altero calidius esse solet; et sæpe dolet extrorsumque intumescit.

Suppurationis Consequentiæ.—Ex pulmonis abscessu, a medicis plerumque Vomica vocato, pus parietibus erosis, in spongiosam pulmonis substantiam sese insinuat, aut in cellulas spiritales pleurive saccum erumpit. Suppuratio non fit a substantia pulmonum, auctore BICHAT, sed a vasis exhalantibus membranæ serosæ. Æger viribus quotidie diffluentibus lenta perit morte.

Constat tamen, testimonio multorum et gravium auctorum, ægros interdum at rarissime post diruptam vomicam revalescere; dummodo statim febre recedente, pus albidum, inodorum, leve, unicolore, coctum, facile et cito exscreant; nec alvi fluxu corripiantur. Nonnunquam vomica non dirupta pus resorbetur; atque transfertur in alias corporis partes, aut per exitus naturales corpore eliminatur.

Empyema.—Pus autem ex vomica interdum in saccum pleuri erumpit. Effusum in hunc, pus medicis sese prodit sonitu fluctuantis intus humoris, qui manibus trunco corporis agitato, leniter arrectis simul auribus exauditur, nisi siquando saccus plenissimus sit; tunc fluxus humorum nullus, auribus vel attentissimis percipi potest. Quinetiam, ubi in hoc sacco pus continetur, mag-

na spirandi difficultas, et lenta febris perpetuo urgent. Septum transversum deprimitur, et depressum sic extrudit hypochondria et epigastrium, ut abdomen superius oculis appareat, perinde ac aqua hydropica aut spiritu distentum. Haud raro etiam tument pedes; in urina aliquid sedimenti albidi, fœtentis, aut tenacis subsidet; putridus sapor os inficit, anima fœtet, macie contabescit corpus, simulque aliis symptomatibus morbidis quæ tabidis propria sunt, afficitur. Rarius etiam pus per pulmonum substantiam in vesiculas fistulasve erodit sibi viam, et hinc extussitur. Sæpius pleuron costarum, musculosque intercostales peredit, forasque sensim producitur.

Gangræna.—Siquando initio magna vi inflammatio fuerit, aut in progressu neglecta sit, interdum supervenit lethalis gangræna. "Ubi igitur gangræna incipit, jam dolor evanescit sine manifesta causa; ejus loco pondus in pectore percipitur; viresque summopere dejiciuntur, pulsus fit omnino parvus, debilis, celer, inæqualis; facies pallida, tetra, interdum rubra cœrulea; extrema frigent, sputa livescunt, nigricant, sæpe etiam fœtent; latus interdum quod dolor vexavit, macula nigra aut livida fœdatur; mens movetur, et

brevi mors scenam complet. Imminens hujusmodi malum vix præcaveri potest *."

Quum ut persæpe, pulmonitis et pleuritis simul urgent, humor serosus aliquando eodem tempore, in fistulas vesiculasque spiritales, et in saccum pleuri et pericardii effunditur. Post mortem, cadaver ferro incidentibus, in sacco pleuri et pericardii pellicula his membranis obducta invenitur.

Scirrhosi—pulmones fiunt nonnunquam, ubi neque resolvitur, neque in suppurationem abit inflammatio; ægrumque multis afficit malis, quibus subveniendis nullum in medicina adhuc repertum est remedium.

PROGNOSIS.

Præcipuis signis pro virili expositis, sequitur ut proprias notas explicemus, quæ spem vel metum injiciant. Ubi signa ab initio mitia neque cito increscunt, levis morbi indicium est: ubi febris et dolor, itemque tussis, sponte aut post medicinam remittunt; ubi toto corpore tepidus sudor

* Vide Bursar.

sponte oritur; ubi alvus leniter fluit; ubi sanguinis pauxillum naribus distillat; ubi sputum satis copiosum, subalbidum, exiguis sanguinis striis variatum, et modica tussi comitatum. Erysipelas quoque, modo aliquamdiu continuat, bonis et faustis signis annumeratur. Contra, mali signum est, ubi ab initio febris vehemens, sævus dolor et magna spirandi difficultas; ingentem quia vim inflammationis ostendunt. Neque bonum, si morbus medicamentis idoneis remediisque mitigari recuset, et horror subinde corpus percurrat; quippe inflammatam partem tum suppurare plus quam satis constat. Malis quoque signis annumerandi sunt dolor vagus, et fugax erysipelas; illud enim latam pleuri inflammationem ostendit, delirium aut coma aut gangrænam prænuncians. Sputum etiam et tussis et excreatio cessantia, dum effusus quilibet humor in spiramentis pulmonum retinetur, indicant effugisse vires. Pessimum est, ubi dolor ex acuto subito cessat, ubi pulsus subito fiunt parvi, creberrimi, tam vi quam temporibus inæquales, simulque cadaverosa facies; ostendunt enim gangrænam laboranti parti supervenisse, neque diutius servari posse ægrum.

CURATIO.

Imprimis officium est pulmonis pleurive inflammatione laborantibus opitulantium, inflammationem quamprimum superare.

Sanguinis detractio.—Ægro maxime omnia vitanti quæ corpus excitent, et vim augeant inflammationis, sanguis quamprimum detrahendus est; nihil, uti experientia compertum est, ad inflammationem superandam tantum valet. Utri brachiorum sanguis detrahendus sit, nondum inter medicos convenit. Parum ut nobis videtur interest ab utro mittatur, dummodo vulnere amplo et pleno rivo effluat. Quo medicus sciat judicare quantum sanguinis una vice detrahendum sit, debet considerare quanta vis morbi urgeat, et quantæ supersint ægro vires; his cognitis, dematur sanguis ut ægri vires pati posse videantur. Si dum effluit sanguis, dolor mitescat et spirandi difficultus levior fiat, profluvium reprimatur; sin minus, permittendus est sanguis exire, usquedum ægro anima prope deficiat. Una venæsectio autem utcunque copiosa, rarissime inflammationem quam persequimur ad superandam

valet. Dolor enim et spirandi difficultas plerumque haud longo tempore, sæpe eodem die, redeunt, et ut antea miserum urgent. Quoties morbus sic recrudescit, sanguis mittendus est, et si opus sit eadem copia. Nonnunquam quidem secundo vulnere, sanguis uberius detrahatur quam primo: nam nonnulli mortalium peculiari corporis constitutione ad animæ defectionem proni, non prima vice patiuntur tantum sanguinis mitti, quantum vis inflammationis postulet, secunda tamen et tertia facile. Huic methodo tractandi, varia constitutione corporis variatæ a medicis attentio præcipue adhibenda est.

Quo maturius post morbi accessum sanguinem detrahere, ad inflammationem discutiendam maxime valet. Quod si medicus non tempestive advocatus sit, vel morbus revaluerit, sanguis quocunque tempore eliciendus est, modo dum suppurationem incepisse non ostenditur. Quantum sanguinis singulis vicibus mittendum sit, et quantum in totum missionem corpus pati possit, accurate judicare et definire non possumus. Tanta enim rationis morbi, et corporis virium, constitutionis habitusque dissimilitudo est, ut nihil de ea perpetuum videatur. Ex adulto mare modici vi-

goris, raro minus quam duodecim, rarius plus quam triginta unciæ, uno tempore mittendæ sunt. Biduo triduove tantum sanguinis, quantum quatuor quinqueve libras pondere æquet, tuto detrahi potest; modo vires, ætas, temperamentum corporis, habitus et constitutio non contra indicent.

Quum vero usus ostendat nihil ex his esse perpetuum, medicus debet non tam annos numerare quam vires æstimare, et hinc colligere quantum sanguinis singulis temporibus, et in tuto sit mittere. Postquam tantum sanguinis ex brachio demptum est, ut timeant medici plus hinc detrahere; utile tamen erit et tutum, modo dolor magis quam spirandi difficultas ægrum urgeat, cucurbitulis cum ferro vel applicatione hirudinum, a parte dolente quam proxime, pauxillum sanguinis emittere. Sanguinis detractio morbi initio non omittenda, quamvis, ut interdum fit, sputum copiosum adsit aut diarrhœa, qua aliquando sub initium hujus morbi æger afficitur; sic enim adeo mitescit hoc malum, ut sine altero auxilio sæpe prorsus curetur.

Emetica tantulis dosibus quantulæ modo nauseam moveant, in præsidio sunt, et postquam mis-

sione sanguinis vis morbi mitigata est, optima quibus ex pectore sputum cieri possit.

Purgatio.—Medicorum nunnulli dubitant, nunquando hoc morbo implicitis purgatio tutum remedium sit. Errant medici; purgatio perutilis ad inflammationem debellandam. Ab initio sales medii variante specie et enema adhibenda sunt; ut alvus bene subducta nihil ad descensum diaphragmatis obstet.

Sudatio.—Quanquam sudor, ubi toto corpore sponte oritur, Pneumoniam sæpe discutit; medicamentis nisi cautissime nunquam eliciendus est, semper vitatis vero iis, quæ stimulant et calefaciunt. Omnium quæ sudorem excitant, nullum pulveri antimoniali anteferendum; vasa exhalantia cutis relaxanti, atque cordis et arteriarum actionem lenienti. Sudorum lenem, toto si corpore sponte oriatur, utile erit dilutis potulentis aliquandiu potrahere. Quod si in parte superiore corporis tantum oritur sudor, dum simul spirandi difficultas manet, validissimum Pneumonia laborantibus auxilium fertur, fomentationem pedum crurumque, et deinde inter scapulas vesicatorium applicare. Si ab initio levis fuerit morbus; vesicatoria, post primam sanguinis detractionem, im-

ponere tutum erit; sin gravis, magis expediet morari paulisper, donec iterum missus sanguis fuerit.

Demulcentia.—Hujusmodi medicamentorum tria genera sunt; oleosa scilicet, dulcia, et mucilaginosa, quibus leventur tussis nempe et spirandi difficultas: opium, necne assumatur ut tussim soporet, medici inter se multum dissentiunt. Initio, priusquam missione sanguinis et regimine antiphlogistico dolor et spirandi difficultas aliquantum remiserint; opium non tutum remedium est, spiritus difficultatem augens vimque inflammationis exasperans. Quod si morbi decursu, difficultate spirandi levata, tussis perurgeat, ut æger dolore simul et vigilia prematur; opium non solum tutum, sed potentissimum auxilium est.

Expectorantia.—Ita definiuntur medicamenta quæ muci vel aliorum fluidorum e pulmonibus et trachia exscreationem expediunt, aut promovent; constrictione ablata vasorum exhalantium pulmonum. Hoc genere comprehenduntur Callicocca Ipecacuanha, Scilla Maritima, Myrrha, Polygala Seneka, Antimonii præparata, et quædam Hydrargyri, vaporesque aquæ calidæ pulmonibus attracti.

Regimen.—Diæta constare debet ex cibis et potu, qui dum vires nutriunt, non multum stimulant corpus. Initio morbi, esculenta corpus non stimulantia optime conveniunt. Ægro caveri debet, ne corpus extrinsecus nimis incalescat; quippe quod nihil vim morbi magis intendit: ne hoc accidat, surgat æger e lecto aliquando; et se dum cubat, levibus vestimentis tegat. Cubiculi interea temperies, uti putat CULLENUS, nunquam debet eam excedere, quam indicat sexagesima thermometri Fahrenheitiani nota.

Aliquot diebus elapsis, diætæ adjiciantur carnes impuberum animalium jurulentæ; potulenta optima sunt serum lactis, lac ipsum aqua dilutum; rareus cerevisia meracior, aut vinum aqua dilutum.

Exercitatio levis, qualisque non debilitet, post morbum utilis est. Initio, optimum est vehiculo gestari; dein, ubi vires paululum reviruerint, ambulare; tum viribus fere confirmatis, si velit animi causa brevi equitatione sese exerceat.

Vestitus qualis calorem corporis foveat et sustineat, dum salutiferum elicit cutis halitum. Indusium et tibialia lanea sint, in frigidis et muta-

bilis temperiei regionibus ubi pulmonum pleurique inflammationibus mortales præsertim opportuni sint.

FINIS.